

2. B. 7.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

CAUSSAS

Et

ORIGINEM
SUPERSTITIONIS

EXHIBENS

Quam

Ex consensu Ampliff. Senat. Philosoph.

In Regia Fennorum Academia

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloq. Prof. & Fac. Phil. h. t. Decano:

In Auditorio Maximo

horis diei V. D. XIII. Nov. consuetis

AO MDCCXXVI.

Publico examini modeste submittit

JOHANNES TOLPO J. F.

ABOENSIS

ABOÆ ex: Joh. Klämpe, R. Ac. Typ.

Georg Lange

CONSPECTUS.

Introitus de cultu Dei naturali interno & externo nonnulla tradit

- §. I. *Quid per superstitionē intelligatur, exponit.*
- §. II. *Superstitionem Theoreticam proponit.*
- §. III. *Practicam considerat.*
- §. IV. *Noxam superstitionis indicat.*
- §. V. *Natura corruptioni & quidem intellectus morbis primam ejus originem tribuit.*
- §. VI. *Ex voluntatis depravatione illam derivat.*
- §. VII. *Corpori, ejusque variis temperamentis suas vindicat partes.*
- §. VIII. *Educationē, conversationē & vita genus ad superstitionē multum conferre demonstrat.*
- §. IX. *Dei perfectionum ac voluntatis ignorantia superstitionem adscribit.*
- §. X. *Eandem ex ignorantia Physices causarumque naturalium deducit.*
- §. XI. *Erroris de Cometis aliquas superstitionis species genuisse tradit.*
- §. XII. *Falsas de spiritibus opiniones, idem fecisse docet.*
- §. XIII. *Ortum ejus ex animi pravitate & obstinatione specialius derivat.*
- §. XIV. *Superstitionis culpam in noxiorum librorum lectionem confert.*
- §. XV. XVI. XVII. *Quosdam Principes, Sacerdotes & Philosophos, certarum superstitionū in totis populis auctores fuisse, asserunt.*



A. Ω.

INTROITUS.

QUUM quælibet nostrum rotius non minus universi, quam suæ ipsius naturæ, ejusque conditionis consideratio multis doceat, dari Ens omnium supremum, idemque perfectissimum, quod Deum vocamus; cui quicquid sunt ac habent, debeant, & a quo dependeant omnia; hinc ad ejus cultum & obsequium se facile deprehendet obstrictissimū quisque mentis compos & ratione recte utens. Colendi autem modum sedulo investiganti haud
A
agre

agrè patebit, requiri eum Deo dignum, ejusque majestati convenientem, ut scilicet id agamus, unde liquido constet nos habere Deum, pro Ente, quod revera est, perfectissimo. Externæ vero actiones, quum sint internarum, h. e. animi & ejus motuum interpretes atque indicia, immo fructus, sequitur his ordinandis primo esse studendum, ut cultus Dei interior recte se habeat. Huic fini obtinendo Dei perfectionum seria contemplatio optime inservit. Si enim tecum ipse cogitaveris, quam sit Dei in te & creata omnia jus & imperium summum, maxime absolutum & nullis circumscriptum limitibus, quantaque potestas quodvis exigendi obsequium, atque simul, quam immensa ejus potentia sit, qua possit, & justitia, qua velit re-

lu.

stantes cogere ac punire; non potest non ejus majestatis veneratio & timor in te oriri. Si porro mediteris amoris erga te Divini, ejusque documentorum magnitudinem & copiam; ferreus eris, nisi ad redamandum inciteris. Hic amor autem Dei, cum ejus timore conjunctus & temperatus, te obsequentem Deo reddet, & promptum ad agenda, quæ præcipit, & quæ prohibet omittenda. Deinde in spem opis impetrandæ te eriget, & fiduciam in te accendet, tuæ miseriam ac indigentiam, Dei vero misericordiam & potentiam recordatio, atque ad preces Deo ex animo adhibendas impellet. Exauditionis denique & beneficiorum, quibus te Deus immerentem cumulavit, memoria, gratum in te erga illum animum efficiet. Animo sic erga Deum

4
adfecto, his ejus motibus & internis actibus absolvitur cultus Dei naturalis interior, (a) ex quibus si profluant, & cum illis convenient sermones, ritus & actiones, cultus etiam Dei naturalis exterior, legibus naturæ congruit; sin minus, in vicio ponuntur omnia. Si enim mente ab his affectionibus vacua cultum Dei simulaveris, mereatur ille hypocrisis, & tu hypocrita vocari; si autem rationem colendi Numen, tuis cupiditatibus convenientem, Divinæ vero voluntati ac rectæ rationi adversam excogitaveris, *superstitionis* reus evades. (b) In hujus ego causas & originem,
pro-

(a) Bæmmeri *jur. Eccles. Dissert. Prelim. Walch. Introd. in Philos. Cap. 6. §. 22. Gentzken. Syst. Philos. part. 2. p. 64. &c.*

(b) *Walch. L. 2. C. 5. §. 38.*

5
propitio cum Deo; paucis inquirere operæ pretium duxi. Proinde ut facilem, benignumq; Te, meis juvenilibus ausis, Candide Lector præbeas, est quod maximum in modum Te oro & obtestor.

§. I.

Vocabulum *superstitionis* a *superstite* derivat Cicero (c) *Superstitiosi* inquam vocati, qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui liberi sibi *superstites* essent, quod nomen postea latius patuit: *superstitiosorum* nomen autem post adepti sunt illi, qui circa Numen aut ejus cultum errant. Num recte an secus derivaverit, in medio relinquimus, quum vocabulorum originationes plerumque sint incertæ, & parum conducant, illas scrupulose excutere, ubi quid verbis designemus exponi-

(c) *de nat. Deorum l. 2. C. 28.*

6
nitur. Nos autem per *superstitia-*
onem intelligimus, erroneum de
Deo, rebusque Divinis sensum, &
cultum Deo indignum ac ratio-
ni contrarium. In hoc signifi-
catu *superstitio* est totius animæ
morbus, voluntatis nimirum non
minus quam intellectus, & in
quantum ad intellectum refertur,
Græcis *δεισιδαιμονία*, in quantum ad
voluntatem pertinet, iisdem *δει-*
λαΐα πρὸ τοῦ δαιμόνιον appellatur.

§. II.

Rem igitur ipsam adgressuri,
superstitionem considerabimus,
prout se vel in Theoreticis vel
in Practicis offert. Priori modo
spectata, duplici potissimum se
exerit ratione. Crassiore nempe,
quando soli, luna & stellæ
aut homines pro Diis habentur,
qualis *superstitio* alioquin idolo-
latria nuncupatur. Deinde sub-
tiliore, quum operationes natu-

12

7
ræ Divinas esse putamus vel vim
rebus naturalibus majorem quam
oportet, tribuimus. Hujus ge-
neris est persuasio de spiritibus
inprimis malignis, quasi pro lu-
bitu quidvis facere possent; un-
de motus animi oriuntur inor-
dinati, hominem ad magiam *su-*
perstitutionis speciem impellentes.
Pariter falsa de sideribus & astris
opinio, qua tanta illis assigna-
tur vis & efficacia in homines,
ut ex eorum influxu non mo-
do propensiones & motus ani-
mi, sed & prospera mortalium
ac adverſa fortuna pendeat.
Hæc vero absurdam illam pro-
genuit Astrologiam judiciariam.
Omitto dicere de certis lapidi-
bus, plantis, herbis partibusque
animalium, quibus aliquid Di-
vini inesse putatum est. (d)

§. III.

Practica *superstitio* est, quan-
do

(d) *Gensken. Syst. Phil. part. 2. p. 70. 30.*

8
do mileri homunciones absurdis
mediis, utpote certis verbis, si-
gnis atqve characteribus nec non
ominibus vel sanitatem corporis
vel statum externum promove-
re cupiunt. Quo & dementia
eorum spectat, qui futura ex
incertis signis per magiam dia-
bolicam ejusque varias species,
geomantiam puta, oneiromanti-
am, aëromantiam, alectryomā-
tiam, belomantiam & alia divi-
nationis genera cognoscere atq;
prænuñciare volunt. Eo impi-
etatis vero *superstitio* quondam
processit, ut homines actiones
sine mandato Divino suo ex ar-
bitrio institutas, ut bonas De-
oqve gratas sibi imaginarentur;
quo *εθελοθεσκεία* *Papistarum* præ-
cipue pertinet, quæ ejusmodi
partes cultus Divini externi in
ecclesiam invexit, quas vulgus
imperitum pro Divinis & ido-
neis

9
neis ad salutem æternam obti-
nendam mediis habet. Hujus
generis sunt lustrationes, aquæ
aspersiones, crucis & hostiæ,
quam agnum Dei vocant, gesta-
tiones, invocationes Divorum,
peregrinationes ad sepulcra, ho-
ræ Canonice, missarum pro vi-
vis & defunctis celebrationes, &
alia ejusmodi ludibria (e) Opti-
me itaque illustris *Puffendorfus*
vanitates ritusq; eorum descri-
psit, dicens: eos *orthodoxæ Religi-
onis Christianæ simplicitatem innume-
ris exornasse ceremoniis, quæ exter-
nos sensus aliquali tantum modo da-
lectare possunt, ad purgationem vero
cordis ne minimū quidem faciunt.* (f)

§. IV.

(e) vide *Walch. Lex. Philos. de su-
perst. Buddei Theses de Atheism. &
superstie.*

(f) *Puffendorf. in jure facial. di-
vin. §. II. p. 44.*

§ IV.

Superstitio suam non solum ipsius prodit absurditatem, led etiam pestem atque perniciem affert, tam cultoribus suis quam aliis. Quid enim quæso est, si rem recte ponderes, stultius, quam res creatas habere pro ipsa creatore, atque illas Divino prosequi honore? Quid ineptius, quam Deum ridiculis & majestate ejus indignis colere caeremoniis? Quid turpius, quam imaginationi nimium indulgere, inque continuo esse metu? Quid denique est calamitosius, pestilentiusque in vita sociali *superstitiosis*, qui ad officia Deo hominibusque præstanda sunt ineptissimi, adeoque jure pro miserimis mortaliū habendi? Cicero itaque quamvis Ethnicus *superstitionem* pro re nata optime depinxit. (g) *Superstitio*

(g) *de divinat. lib. 2. C. 72.*

inquit, *semper est laboriosa atque turbulenta, hominemque quocunque se convertat, impellit, excruciat, atque persequitur. Si aut vatem consuluerit, omen aliqua ex re ceperit, immolaverit &c., animus superstitiosus tamen inquietus est, inque his omnibus vacillat, &c.* Miseri autem ejusmodi homines licet magnopere desipiant, pravæque suæ voluntatis sint mancipia, eo tamen impudentiæ procedunt, ut se solos sapere credant. Immo a potentia & viribus si instructi sint, ipsa illos *superstitio* impellit, ad omnes odio persequendos affligendosque, qui eorum sententias & moribus adversantur. Historiarum hoc monumenta testantur de persecutionibus gravissimis, quas primorum seculorum Christiani ab Ethnicis & Judæis, sequentium vero a Pontificiis & Muhammedanis sunt experti. (h)

S. V.

(h) *Budd. thes. de Atheismo. & sup*

§. V.

O Riginem huius morbi causasque investigantibus prima omnium occurrit connata illa, eaque maxima *corruptio humana natura*, h. e. corporis & animæ, huiusque facultatum. Quia ex illa, ceu fonte omnis mali primo & communi profluat *superstitio*, nemo sanus negaverit. Eunti enim per singula rei veritas liquido patebit. Nam ad *intellectum* quod attinet, multis ille morbis obnoxius in lucem editur, quorum potissimi sunt, res recte percipiendi & dijudicandi impotentia, imprudentia, præcipitantia, admiratio vana & credulitas; unde nascuntur præiudicia atque errores varii, qui non nisi magna sedulitate & diuturno cultu curari possunt.

perst. C. 10. §. 3. Walch. Lex. Philos. de superstit.

tunt, & qui, nisi tollantur e medio, *superstitionem* progignunt. *Facultatem* porro *imaginativam* eodem naturæ vitio infectam inter primas quoque referas *superstitionis* causas. Illius etenim tanta læpe est vis atque efficacia, ut ipsi intellectui caliginem offendat, quominus iustum rebus pretium statuere, & secundum veri rectique regulam de illis iudicare queat. Absurdi itaque & inepti hinc oriuntur effectus, qui *superstitioni* alendæ & fovendæ non parum interserviunt. (i)

§. VI.

Voluntatis, quæ Philautia, sive amore sui inordinato laborat, non minor est miseria. Hinc etenim, ut ex omnium vitiorum naturigine, inter alia mala etiam

(i) *Budd. Philos. Pract. l. 3. §. 4. Et. Ejusd. theses de Atheism. §. 1. perst. C. 10. §. 1. Walch. l. 2. C. 1. p. m. 124.*

iam propullulat *superstitio*: quando scilicet voluntas ab imaginatione delusa, cum suis motibus, h. e. affectibus, intellectum obnubilat, & quo minus verum perspiciat atque a falso discernat, impedit. Tum certe efficit, ut intellectus non Deum, qui revera est, sed honores, divitias ac voluptates corporis pro summo suo habeat bono. Hinc falsi de Deo conceptus, contemptus Dei, incuria rerum Divinarum, neglectus mediorum proficiendi in cognitione Dei, & ipsa tandem provenit *superstitio*, seu irrationalis Dei cultus. (k)

§. VII.

Qua ratione depravationem suam prodat & ad *superstitionis* non generationem modo, sed nutritionem quoque plurimum

(k) *Ejusd. introd. l. 2. c. 5. §. 36. Budd. Philos. pract. c. 3. §. 29.*

num conferat corpus e dicendis constabit. Quoniam propter intimationem animæ & corporis unionem communionemque hoc ad plenasque illius operationes concurrat, & pro varia principiorum, e quibus constat, commixtione, varie illam afficit & inclinatur; liquet varietatem propensionum in hominibus naturalium, quod scilicet ad *superstitionem* minus alii, alii magis a natura proni sint, corporum variæ constitutioni & temperamento magna ex parte esse tribuendum. (l) De *Cholerici* enim inter eruditos constat, esse eos utpote ambitiosos, lagaces, iudicio valentes & audaces ad Scepticismum, atque singulares de rebus Divinis sententias excogitandas, amplectendas ac defendendas, immo ad ipsum Atheismum, ut supra vulgus sapere

(l) *Ejusd. Philos. Pract. c. 3. §. 42.*

na sua amittendi, aut sine sperato excidendi, avarum ad cultum numinis ineptum impellit, ad excogitandos nimirum, vel ab aliis excogitatos futiles Deum placandi ritus imitandos.

§. VIII.

Naturæ proximas sibi vindicat partes *educatio & institutio*. Hæc si honesta, liberalis & Christiana puero obtingat, beatus prædicandus, sin perversa, miser censendus est. Per illam etenim, ut mentis eluuntur sordes, atque vitiis obviam itur, animusque a teneris vera instruitur sapientia, & genuinis ornatur virtutibus; ita per hanc errores erroribus cumulantur, pravæ propensiones auctæ corroborantur, & mens stultitiæ, *superstitionis* ac impietatis sedes evadit. Quid? quod per pravam informationem etiam illis *superstitio* instilletur, qui ab illa alio-

quin

quin natura sunt alieniores, quod non modo e vulgi, sed & eorum exemplis constat, qui paullo melius sunt educati. Teneræ namque ætati ut credulæ & ad omnia instar ceræ flexili a Parentibus & Præceptoribus ea facile imprimuntur præjudicia, quæ ad *superstitionem* ducunt, præsertim si ipsius *Religionis*, qua imbuitur, principia, dogmata & ritus, quemadmodum *Romana* catervatim eo tendant. (n) *Conversationalis* etiam & *consuetudinis* in hac re magnam esse vim, non in puerili tantum, sed in aliis quoque ætatibus, ipsa quemlibet docet experientia. Homines quippe per animi levitatem, præcipitantiam & præjudicia auctoritatis, haud raro cæco ruunt impetu ad aliorum

B 2

rum

(n) *Budd. Thef. de Atheism. & Superst. p. 699. Ph. Pr. C. §. 22. 43. 44. Waich. Introd. L. 2. C. 6.*

rum dicta, facta, mores & gestus imitandos. Conversationem tamen, vim irretiendi, in virili ætate minorem, quam in cæteris, propter judicii maturitatem & animi constantiam, habere, fugit neminem. Immo in propatulo est, ad *superstitionem*, si non gignendam, saltem sustentandam & augendam non parum conferre ipsam *vita genus*, quatenus avaritiæ ejus genitrici alendæ & fovendæ interservit. Ita mercatores, agricolas, artium illiberalium cultores, operarios & quosvis aliqua re quæstum facientes, quo avidiores, eo etiam *superstitioni* plerumque magis deditos videbis. (o)

§. IX.

HAtenus generaliores *superstitionis* causas tenui descripsimus

(o) *Budd. Theol. Mor. C. 3. Sect. 4. §. 79. C. 5. §. 41. Ejusdem Theol. superst. p. 699.*

mus' *minerva*; jam ergo ad specialiores est descendendum, & in proximos ejus fontes inquirendū. Ut errorum omnium, ita quoque hujus matrem esse *ignorantiam*, omnibus est in confesso. Quarum vero præcipue rerum ignoratio eam pariat, investigandum erit. Constat divinarum imprimis rerum notitiam ad rectum Dei cultum præsupponi; unde sequitur perversum colendi modum ex earum ignoratione provenire. (p) Quamdiu enim neque scit, neque credit homo infinitam Dei erga se benignitatem, non potest eum debito prosequi honore, non ejus opem implorare, nec in eo fiduciam collocare suam. Dum summum Dei in se imperium non agnoscit, Deum ut par est, revereri, timere atque illi obedire nequit. Quanto igitur minor & imper-

(p) *Walch. l. 2. C. 6. §. 20. 22.*

perfectior, Dei perfectionum ac voluntatis notitia in animo fuerit, tanto maiores ibi radices *superstitio* aget. Hoc exempla vulgi ubivis gentium, inprimis vero eorum, qui Romanæ Religionis addicti sunt, quemque aperte condocebunt.

§. X.

O Riginem autem debet, non *spiritualium* modo, sed *naturalium* etiam *ignorationi*, *superstitio*. Quod observans Cicero, egregie hac de re judicavit: (q) *omnium inquiring, rerum natura cognita leuamur superstitioe*. Hinc *physicæ* caussarumque naturalium ignari, multa meteora pro portentis, prodigiis aut omnino miraculis habent. (r) Ita ignes fatuos in cœmeteriis & palustribus locis sæ-

(q) *Lib. 1. de Finibus.* (r) *Walch. l. 1. C. 6. l. 2. C. 2. §. 14. 35. C. 3. §. 41.*

pe' obvios thesaurorum indicia, saltem spectra esse existimant, qui ignorant talia exhalationes esse viscosæ & pinguis cujusdam materiæ. Pari ratione halones solis & lunæ, chasmata ac hiatus, aliaque id genus meteora & phænomena in aëre adparentia rudes admirantur, & signa ominosa reputant. Porro cultum corporum non modo cœlestium, sed & terrestrium, præcipuum inde traxisse ortum credibile est, quum excellentes eorum operationes oculos animosque imperitorum percellerent, in admirationem raperent, & ad Diuinitatem aliquam illis tribuendam, permoverent. Initium autem a sole luna & stellis factum esse, vero est quam simillimum. Dispersis enim & per orbem oberrantibus Turris Babelicæ structoribus, quum sol interdiu & luna ac reli-

qua

qua sidera noctu peregrinantibus duces existerent, eo major cœli stellis distincti admiratio illis orta est, quo insignior ejus influxus in hæc inferiora, & quo ordinatior in eo citatissimæ conversionis motus deprehendebatur. Deinde probabile est, admirationem astrorum nimiam, cum ignorantia eorum naturæ conjunctam genuisse hanc *superstitiosam* opinionem, esse scilicet cœlum stellatum, Numen quoddam animatum, supremo Numini subordinatum, & Divino aliquo cultu, minore tamen, quam illud prosequendum. Ad quod credendum, facile adducimur his *Maximi Tyrii in Dissert. 12a* agentis: *totum q idem mundum unum tantummodo Deum agnoscere, sed illum dirigendo & sustentando hoc universos ministros sibi servientes habere; ideo*

que eos Divino quoq; dignos esse cultu. (s)

§. XI.

Quot *superstitiones* progenuerit varius de *Cometis* error, ex eorum naturæ ignorantia oriundus, paucis dici nequit. Illos enim diu pro iræ Divinæ interpretibus & imminentium pœnarum nuntiis ab omnibus fere habitos esse, eruditorum ignotum est nemini. Naturæ certe ejusque virium ignorantia inconsultum & ineptum multis injicit rerum creatarum metum, ac si nobis nocere sine Dei voluntate, vel sua nobis denegare beneficia possint, & metus hic *superstitionem*, immo aliquando ipsam generat idololatricam. (1)

§. XII.

(1) *Walch, Lexic. Philos. de superstitione. (1) Vide ejusd. Lex. de Cometis. & Introd. L. 2. C. §. 29.*

§. XII.

Quia multa naturæ mysteria continet doctrina de spiritibus, quam *Pneumaticam* vel *Pneumalogiam* appellant, miretur nemo, fallas de spiritibus opiniones, *superstitioni* variæ multas præbuisse occasiones, immo etiã causas. Effecta namque malignorum spirituum alia revera sunt, alia tantum videntur esse. Qui ergo nescit, quanta sit eorum potentia, & quibus circumscribatur limitibus; si modo sit voluptuosus vel avarus, ut illos *superstitione* aut placeat, aut abigat, facile adducetur. (1) Nec quis inficias iverit, ipsum *malum genium* auctorem & propagatorem falsarum de se opinionum atque inde ortarum artium *magicarum* fuisse; quum rei veritas omnibus constet. *Lactantii* verba heic tantum adduce-

(1) *Walch. l. 3. C. 2. §. 10. 11.*

re placet, quibus ille (x) suam de hac re sententiam optime expressit, dicendo: *Astrologiam, Divinationem ex volatu avium & visceribus animalium, oracula, defunctos & sepulcris quod ad formam adparentes faciendi vim, magiam, aliaq; abominandas, quas palam vel occulte ejusmodi homines producunt operationes, & quæ omnia teste Sibylla Erychraæ vana sunt; figmenta tantum malignorum spirituum fuisse.*

§. XIII.

Superstitionis causa ignorantia proxima, sine dubio est *voluntatis pravitas*, eaque partim in errante, partim in deceptore. Quæ quum per inordinatum sui ipsius amorem, ejusque filias se luculenter prodat, ut ex dictis constat, sequitur dominantem in animo sive honorum, sive opum, sive voluptatum cupidinem, pro-

(x) *L. 2. C. 16.*

temperamentorum, principiorumque per institutionem, consuetudinem, aut alia ratione undecunque haustorum habituum, nec non aliarum caussarum varietate, varie, h. e. magis vel minus hominem ad *superstitionem* movere & impellere. Maximam autem voluntatis depravationem *obstinatio & pertinacia animi* indicat, quæ is de rei falsitate, suisque erroribus convictus, his mordicus inhæret, nec transverlum unguem a sua malitia discedit. Hanc animi pestem, non avaritiæ minus quam ambitioni suos debere natales, immo nec hypocrisios tantum & *superstitionis*, verum ipsius etiã idololatriæ, non genitricem modo & nutricem, sed tutricem quoque esse, historiarum testan-

(y) *Budd. Theol. Mor. C. 1. sect. 4. S. 38. 70. 76. 84. Eiusd. Thes. de Atheism. & Superstit. C. 10. S. 3.*

stantur monumenta. (y) Singulare exemplum summæ in malo obstinationis animi nobis præbent Judæorum reliquæ post desolationem Hierosolymorum primam in Ægyptum profugæ, de quibus *Jer. 44* sequens extat effatum: *Dicite, quod nobis in Nomine Dei loqueris audientes non erimus, sed ex animi sententia vivemus, & cæli regina serviemus.* Non minor in illis est pertinacia, qui cujuscunque sint religionis falsæ & *superstitiosa*, errorum suorum conscii, illis tamen cupiditate honorum & opum flagrantes, aut pertinaciter inhærent, aut se inhære simulant, & pro viribus simpliciores, sibi que subjectos in *superstitione* varia erudiunt ac confirmant; quod Doctores inter illos facere manifestum est.

§. XIV.

¶ *Ectiorem denique librorum, qui ad*

ad *superstitionem* ducunt, in nonnullis parere *deistat, ovian* factentur eruditi, imprimis si eorum auctores insigni polleant atque excellenti *imaginationis facultate*. Scripta enim ex forti & vivida imaginatione orta, verbis que ad rem proponendam aptis composita, non possunt non ea efficacia imaginationem Lectorum saltem simpliciorum movere, ut in admirationem atque assensum abripiantur, quamvis rationes, quibus res probatur, non sint solidæ. Imaginationi itaque quum tanta insit efficacia, magno non tantum studio, & scripta & sermones eorum fugere juvat, qui turpia & inhonesta tractant; verum & caute ac provide legendi illi, & varios rebus sacris errores admiscet, & eloquentiæ abusu alios facile decipiunt, ne ad nutum

tum eorum quibuscunque ineptiis fidem habeamus. (2)

§. XV.

Indagata breviter *superstitionia* apud singulo origine; restat ut eam paucis in universis h. e. in totis populis & gentibus investigemus. Quo fine historiarum monumenta evolventibus liquido patebit, eam natales suos debere, aut *Principibus*, aut *Sacerdotibus* aut *Philosophis* aliisque eruditis. De principibus constat, multos eorum genus suum a Diis deducere non dubitasse, alios singulare suum cum illis commercium jactitasse. Summa *Alexandri Magni* arrogantia neminem fere latet, qui patrem dedignatus Philippum, Jovis Ammonis filium non modo se credi

(2) *Malebranche de inquir. verit. l. 2. part. 3. C. 2. Budd. Theol. Mor. l. 1. C. 1. Sect 5.*

di & salutari, sed & Divinis honoribus coli voluit; quamvis ortus Divinitatem sui, nemini posset persuadere. (a) Feliciore autem cum successu, *Numa Pompilius* secundus Romanorum Rex teste *Floro* (b) Barbaros cives, sacra, caeremonias & omnem Deorum cultum docuit, institutisque Pontificibus, auguribus, salis, caeterisque sacerdotibus haecce omnia *Dea Ageria* monitu se fecisse. plebem ad credendum adduxit. Hac intentione Romanorum Imperatores parentes & antecessores suos in Deorum evexisse numerum facile crediderim, ut scilicet *superstitione* plebis aucta ipsi securius imperarent, & populus in officio contineretur. Immo eo protervitae progressus est *Flavius Vespasianus*

(a) *Quint. Curt. l. 8. C. 5.*

(b) *L. I. C. 2.*

ut de vi patranda miracula publice gloriaretur, & imperitos deluderet. (c) *Superstitionem* Orientalium hodiernam, magni illius impostoris *Muhammedis* singulari dolo suum debere ortum, manifestum est. Ille enim credulis *Arabibus* persuasit, columbam ad hordei grana ex auricula sua excerpenda assvefactam, esse Spiritum Sanctum, qui sibi voluntatem Dei patefaceret, & Alcoranum in calamum diceret. Quumque hoc medio nihil aptius ad animos civium permovendos deprehenderent, eo nonnulli processerunt imperantes, ut sub specie Religionis & zeli res abominandas excogitarent, inque summam Reipublicae perniciem perpetrarent. Quas turbas dederit & quanta superiore

C

(c) *vid. Heumann. de miraculis Vespasiani.*

seculo commiserit scelera Regi-
cida Anglicanus *Oliverius Cromwell*
& quidem sub prætextu Divini
instinctus, eruditorū ferme igno-
tum est nemini. Nec best. Du-
ces hujus astutiæ ubiqve ex-
pertes fuerunt, de quibus anna-
les referunt, eos solis & lunæ
eclipses, metum tempestatum,
tonitrua ac fulgura, nec non
Cometarum apparitiones, aliq̄,
ut Plinii verbis utar, *vulgi turba-
menta*, militum *superstitioni* calli-
de accommodasse. (d)

§. XVI.

Sacerdotes gentilium, non
S auctores modo, sed propa-
gatores quoque variæ *superstio-
nis* ubiqve gentium fuisse, histo-
riæ satis testantur. Videntes e-
nim, tam ad suam auctoritatem
& venerationem, quam ad utili-
tatem

(d) *Budd. Thes. de Atheism. &
superst.*

tatem ac rei familiaris incre-
mentum non parum conducere
plebis *superstitionem*, eam illis
multis instillare & imprimere
modis non dubitaverunt. Hinc
non Deorum modo, sed Deos et-
iam colendi rituum ac cæremoni-
arum multiplicationem proflu-
xisse est credibile. Veteres *Ægy-
ptii* non solum animalia omnis
generis, ut canes, boves, feles,
verum etiam herbas & arbores
Divino protecuti sunt cultu.
Vero simile est eos, qui pri-
mi hanc gentem in cultu Dei
instituerunt, non quidem res cre-
atas illis ut Deos quos colerent
proposuisse, sed hieroglyphica
docendi ratione usos, cum intel-
ligerent plebem abstractos de
Deo & rebus Divinis conce-
ptus sibi formare non posse, sed
ad sensualem, magis apprehensio-
nem

nem natura proclivem esse, se ejus captui accommodasse, ut attributa Divina variis sub speciebus & imaginibus sisterent. Successu vero temporis, per sacerdotum partim negligentiam partim pravitatem, factum esse arbitror, ut primum *superstitio* & demum *πολυθεῖα* ac idololatria inde propullularent. (e) *Superstitutionem* Ægyptiorum in colendis brutis callide magis quam recte excusavit *Isocrates* (f) *Multas* inquit illis & *varias exercitationes* constituit ille, qui ex animalibus quædam apud nos contemptis, coli & honorari lege sanxit: non quod eorum vim ignoraret, sed partim censuit vulgus assueciendum esse ad observanda omnia Principum edicta; partim in rebus evidentibus experiri voluit,

(e) *Walch, Lex. Philos. de Superstit.*

(f) *lib. de Busiria.*

luit, quomodo erga occulta affecti essent. *Plutarchus* quoque refert, (g) *Ægyptios Sacerdotes* magno æstu exorto, unde pestilentes morbi, aliæque calamitates ingruerunt insolitæ, nonnulla ex animalibus, quæ coluntur, tacite in loca tenebricosa abduxisse, & minis primo terruisse; post si malum duraverit, mactasse & immolasse pro insigni plagæ piaculo. *Plutarchi* itaque de multitudine ac varietate Deorum Ægypti sententia licet ab impietate non immunis sit, neque tamen per omnia a veritate discedit: *Ægyptiorum* plerique ait, colentes animalia & tractantes tanquam Deos, non sanis modo & irrisioni totam pene sacrorum objecerunt rationem, (hoc enim a stultitia, malum procedit minimum,) sed & vehementer animis ingeneratur opinio, quæ infirmitate

(g) *Plutarch. l. I. c. 21.*

mis atque simplicibus meram inducit superstitionem. (b) Superstitio autem omnis & idololatria Pontificiorum, quin a Cleri Romani avaritia & dominandi libidine originem trahat, non sinit nos dubitare Historiæ Ecclesiasticæ fides. Hæc enim luculenter tradit, quomodo non solum infiniti Ethnicorum ritus ab eo in Christianismum inveciti, sed & multi conficti, & his ad superstitionem fovendam augendamque superaditi sint; quibus recensendis immorari nos, instituti ratio non patitur. Hoc unicum addo artem apparitiones, vaticinia & miracula mentiendi, quam quoque a Paganis mutuati sunt, apud illos superstitioni alendæ hodiernum plurimum inservire.

§. XVII.

DE quibusdam gentiliū Philo-

(b) *Plutarch. l. 1. C. 21.*

lophis & eruditis, qui auram Principum aut vulgi captare studebant, certum est, eos si non introduxerint, tamen stabilivisse multas superstitiones. De Ægyptiis, qui simul erant sacerdotes jam dictum est. De Persarum Magis Indorumque Gymnosophistis superstitionosa eorum testantur effata. Sane quantum superstitionem aluerint erronea Pythagora & Platonis de spiritibus & geniis dogmata, vel exinde liquet, quod eorum sectatores ex his occasione cepèrint, varias quærendi cæremonias, quibus in bonorum spirituum commercium pervenirent, & eos in suas partes pertraherent, ut deinde illorum ope singulares & insolitas efficere possent operationes. De Philosophia Scholasticorum, quæ ex permixtione cum Theologia orta est, ne dubitet quisquam, e-

am

am ad *superstitionum Pontificiarum* propagationem & defensionem plurimum contulisse; quum harum amatoribus hodiernum in deliciis maxime sit.

Plura in materiam hanc satis nobilem commentari, habenda temporis & instituti ratio non finit: hæc levia igitur ut æqui bonique consulere, atque mitiorem in partem interpretari velis, a Te Benignæ Lector magnopere peto.

S. D. G.

